



# The Holy See

---

## ***EPISTULA DATA TELESPHORO PLACIDO S.R.E. CARDINALI TOPPO***

*Venerabili Fratri Nostro*

*TELESPHORO PLACIDO S.R.E. Cardinali TOPPO*

*Archiepiscopo Metropolitae Ranchiensi*

Animum utique ad antiqua referre iuvat, cum seduli Evangelii praecones ad Asianas oras appulerunt, benignissimi ipsius Salvatoris salutaria dona illis gentibus ministrantes. Regiones igitur apud illas Dei Verbi sparsum semen sapienter, divinae gratiae copiose irrigatum, se dilatavit, in feracem spicam processit et deinde in uberem messem.

Priora haec igitur ob oculos habens ac futura prospectans, Ecclesia quae est in Asia undecies congregiendum constituit, ut renovato animi studio divini Redemptoris largius adipiscatur beneficia. Idcirco XI Congressio Plenaria Foederationis Conferentiarum Episcoporum Asiae (compendiatis litteris FABC nuncupata) iure meritoque agetur, quae dabit copiam animos ad ferventorem religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita permovendi.

Quapropter cum Venerabilis Frater Noster Osvaldus Gracias, Archiepiscopus Metropolita Bombayensis ac FABC Praeses, rogavisset ut purpuratum Patrem mitteremus, huic postulationi obsecundandum iudicavimus, quo coaduantio illa elatius et spectabilius perageretur. Ad te ideo animum convertimus, illius Continentis inclitum filium, ad personam inibi. Nostram gerendam paratum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum extraordinarium Nostrum renuntiamus et constituimus ad XI Congressionem Plenariam Foederationis Conferentiarum Episcoporum Asiae proximis diebus XXVIII mensis Novembris - IV mensis Decembris in urbe Columbensi in Taprobane celebrandam.

Universis igitur participibus hominibusque inibi cunctis voluntatem Nostrani benignam ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Misericordiae iam lubilaei sub finem fidelibus cunctis, spiritalibus huius insignis eventus fructibus repletis, Nostro nomine

Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum documentum, ab omnibus pro Nostro Petri munere frugifere absolvendo simul preces petentes.

*Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Octobris, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, pontificatus Nostri quarto.*

**FRANCISCUS**

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana